

LIBER III.

CAPVT I.

Indicatur locus difficilis in *l. 15. §. 6. D. locat. conduct.*

Si nautae, qui onus transuehendum conduxit, uectura prorogata fuerit, naufragio facto, ab eo repeti uecturam in persona procuratoris Caesaris, Antoninus rescipit, quia transuehendi munere nauta perfunctus non est: quod et in aliis personis, onus uehendum locantibus, obtinere locum, VLPIANVS tradit in *l. 15. §. 6. D. locat. cond.* cui, ut recte IRNERIVS animaduertit, nihil obstat *l. penult. §. ult. D. eod. tit.* in qua onus publice retentum est culpa domini. An uero in §. 6. error est in illis uerbis: *pro inuecto*? An: *prae manu* legendum, ut uecturam nautae prorogatam et repraesentatam intelligamus, quomodo apud TERENTIUM in *Adelphis*: *huic aliquid paululum prae manu dederis unde utatur*: uel, quod magis probarim, eodem sensu, uecturam quam *in promptu* acceperat. Nam et HARMENOPVLVS in *fine libr. II. epitom.* illa uerba sic interpretatur ἐν προχειρίᾳ. Sed hac in re, ut et in ceteris omnibus, suum unicuique liberum et integrum iudicium relinquo, libentiusque nunc PETRI PITHOEI adolescentis eruditissimi et acutissimi iudicio adquiesco, qui recte Florentiae legi: *pro mutua*; et quasi mutuum dari quodcumque prorogatur, atque ita uecturam prorogatam praecipere pro mutua, et non transuecto onere in credito remanere mihi dicebat. His uero testibus utebatur, *l. 34. §. ult. D. de legat. 3. CAESARE libr. III. de bell. ciuil. insequentis anni uectigal* pro mutuo. Est certe in *d. l. penult. §. ult. pro: exigere nauis*, legendum: *exigere nauta*

CAPVT II.

Explicatio *l. 2. pr. et l. ult. D. de lege Rhod. de iact.*

Exposuimus *libr. II. cap. 28. pag. 49.* fatis, ut arbitror, diligenter definitionem locatoris et conductoris: quod etsi non minimum lucis adferat *l. 2. et l. ult. D. de lege Rhod. de iact.* tamen quia nonnihil, immo multum in eis adhuc difficultatis superest, libet pauca iamdiu a me in eas leges adnotata depromere. Apponam autem ipsas adnotationes breuitatis causa. Ait *l. ult. [Si uehenda.]* Hic nauta conduxit, uector uectorumue dominus locauit. [*Si ea conditione.*] Hic nauta locauit, uector conduxit. [*Cum id sciret te fieri nolle.*] Inuito uectore: atque ideo nauta tenetur ex conducto. [*Ex conducto locato.*] Vna est actio ex conducto, quae dicitur etiam ex conducto locato, ut in *l. 19. D. de heredit. uel act. uendit.* et *l. 33. D. de action. emt. et uendit.* actio ex emto uendito: et apud VARRONEM *libr. II. de re rust. cap. 2. [Ex conducto locato.]* Immo ex locato conducto, *l. 13. §. 1. D. locat.* uerum aliter in ea lege inita est locatio: nam uector onus uehendum dedit, hic autem nauem utendam accepit: atque adeo conductor hoc casu est, illo locator. [*Priore nauta.*] Qui priorem nauem locauerat. [*Immo contra.*] Superiori sententiae LABEONIS PAVLLVS uarias exceptiones adnectit, puta, si utraque nauis perierit, si cum priore